

## EPITOME LIBRI XLV.

Perseus ab Aemilio Paullo in Samothrace captus est. Quum Antiochus, Syriae rex, Ptolemaeum et Cleopatram, Aegypti reges, ob sideret, et missis ad eum a senatu legatis, qui iuberent, ab obsidione socii regis absisteret, editisque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus ex legatis Popillius virga regem circumscriptis, iussitque, antequam circulo excederet, responsum daret. Qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissae. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum faverant, exclusa. Postero die, quum de eo quaereretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriae suae legati egerunt, nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi. Macedonia in provinciae formam redacta est. Aemilius Paullus, repugnantibus militibus eius propter minorem praedam, et contradicente Ser. Sulpicio Galba, triumphavit: et Persen cum tribus filiis ante currum duxit. Cuius triumphi laetitia ne solida ei contingere, duorum filiorum funeribus insignita est: quorum alterius mors patris triumphum praecessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim millia, octingenta quinque. Prusias, Bithyniae rex, Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit; et Nicomedem filium senatui commendavit. Rex, plenus adulatio nis, libertum se populi Romani dicebat.